





JEHOVA
Præsente & Patrocinate
DISPUTATIONEM POLITICAM
DE
PATRIA POTE-
STATE

Speçtatisimi Senatus Philosophici consensu
Præsidente & Dirigente
VIRO

Excellentissimo atq; Clarissimo

DN. M. JACOBO THOMASIO,
Eloq. P. P. Colleg. Min. PP. Collegiato, Amplissimæ
Facultatis Philosophicæ Assessore gravissimo, Præ-
ceptore & Adfice suo ætatem ve-
nerando,

Publicæ Eruditorum ventilationi exponit

RESPONDENS & DEFENSOR

ANDREAS OSVVALDUS SCHELERUS,

Lipsiensi. Misn. Juridicæ Cultor,

Lipsia ad d. 17. Junii. A. R. S. M. DC. LXV.

IN ACROATERIO. MAJ. PP. COLLEG.
H. L. Q. C.

Charactere WITTIGAVIANO.

28
H. B. Amman

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Plurimum Reverendo, Amplissimis,
Experientissimo, Excellentissimis, Reverendis, Con-
sultissimis atq, Clarissimis:*

DN. CHRISTIANO LAURENTIO ab *Udtershelm/*
Serenissimi ac Potentissimi Electoris Saxonici Camera
Consiliario, Reipublicæ Lipsiensis Patriæ Consuli longè
Meritissimo, Scabinatus Assessori Gravisimo.

DN. QUIRINO SCHACHERO, J. U. D. & Antecessori
Celeberrimo, Judicii Appellationum Electoris Saxonici
Consiliario Splendidissimo, Consistorii Lipsiensis Præsidi
Eminentissimo, Juridicæ Facultatis Seniori Gravisimo.

DN. JOHANNI RAUIO, Serenissimi ac Potentissimi E-
lectoris Brandenburgici Consiliario, atque Bibliothecæ
Præfecto Eminentissimo.

DN. JOHANNI CHRISTOPHORO JÄGERO, J. U. D.
Celeberrimo Scabinatus Lipsiensis Assessori Gravisimo,
Consulenti Præclarissimo.

DN. GODOFREDO WELSCHIO, Phil. & Med. D. Fa-
cultatis Medicæ Seniori Dignissimo, Pathologiæ. P. P.
Maj. P. P. Colleg. Collegiat. Academiæ Decemviro, &
Reip. Patriæ Physico Ordinario.

DN. JOHANNI SIGISMUNDO KRESSIO, Not. Cæs.
Publ. Phil. M. J. U. Licentiando, Canonico Magdeburgensi
& Practico Famigeratissimo.

Dominis Mæcenatibus, Patronis, Susceptoris ex sacro fonte,
Promotoribus, atque Adfinibus summâ animi observantiâ
Colendis Suspiciendis ac nunquam non
devenerandis.

*Hoc quicquid est Exercitii Academici ad testandam
observantiam cum suis studiis dicat,
offert*

ANDREAS OSWALDUS SCHELERUS. Lips.
Juridicæ Cultor Autor Resp.



*Alme Deus nostris feliciter annue cœptis,
Unde Tibi laus sit, nostraq; certa salus.*

§. 1.



Atriæ potestatis vocabulo nihil aliud significamus, quàm jus illud, quod parentibus in liberos convenit. *Jus* autem definiente Grotio Lib.I.de Jur.B.c.I. §. 4. est *qualitas moralis personæ competens ad aliquid justè habendum vel agendum.*

§. 2. Et quoniam jus illud ac potestas, quâ quis alterum potest regere, & ejus actiones disponere, *imperium* est: (Micrælius Lex.Philof.p.599. voce Imp.) non inconueniens erit, hanc potestatem etiam honorare titulo imperii paterni.

§. 3. Imò etiam *dominii* paterni, siquidem dominium & imperium idem valere jufferis. Et ita Lactantius nominat loco, quem proferemus infra §. 23.

§. 4. Veruntamen quia distinctionis ergò præstat imperium à dominio sic divellere, ut in *res* quidem *dominium* vocetur, in *personas* autem (quarum ambitu philosophi liberos juxtà cum servis comprehendunt,) *imperium*: malumus hic à voce *dominii* abstinere.

§. 5. Accedit & alia ratio. Nam si maximè dominium ad personas quoque trahas, consultum tamen adhuc est, ut ab imperio distinguatur tanquam à genere species. Est enim Imperium non quodvis, sed *herile*, ἀρχὴν δεσποτικὴν vocat Aristot. quod domino sc. (unde vox ipsa descendit) in servos tribuitur. Aliud autem Philosophis dominus est, aliud pater: aliud herile, aliud paternum imperium.

§. 6. Synonyma ergo nobiserunt, *potestas patria*, *jus patrum*, *imperium paternum*. Plin. in paneg. c.38. n.7. etiam *dictionem* vocavit: na-

▲ 2

1176

ura semper in ditione parentum liberos esse iussit, nec uti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium valentioribus dedit.

§. 7. Quanquam autem hæc potestas ad matrem quoque pertinet: patria tamen salutatur, quia potiores partes hic sunt patris per dicenda §. 34. 35.

§. 8. Patriam potestatem aliter *JCius* considerat, aliter *Philosophus practicus* in parte Polit. priore. Ille restrictam ad certæ Reipublicæ puta Romanæ instituta; *hic* liberam, perque omnes populos vagantem. Ille ex legibus maximè civilibus; *Hic* unicè ex jure naturali eam metitur. Ille statum legalem; *Hic* naturalem respicit. Nos memores cathedræ, quam conscensuri sumus, philosophicam tractandi rationem nostram hoc tempore faciemus.

§. 9. Et quandoquidem *status naturalis* animo comprehendere nos jubet cujusque rei, qualis esse potest maxima, *perfectionem*: cogitandi nobis hic sunt parentes, quales imperio dignissimos & economicæ prudentiæ, quemque suo modo, justus habitus effecit.

§. 10. Neque tamen, ut eos mente concipiamus *extra omne imperium civile* positos in eo statu qui fuit ante publica judicia sancita, ulla nos cogit ratio. Tametsi enim humano genere nondum multiplicato necesse est fuisse domos, cum nondum ulla esset civitas: tamen & pridem exspiravit ille status, & eo adhuc durante jam dum natura civitatem, ut societatum humanarum perfectissimam, meditabatur. Neque dubium, perfectiorem esse feliciorisque domum, quæ sit pars civitatis, quam quæ solitaria in totius licet mundi possessione justii consortii sit inops. In quavis autem Theoria vertendi sunt oculi ad statum rei perfectissimum. Hæc ratio & Platonem videtur movisse, ut negaret ideas dari partium à toto separatarum.

§. 11. His ita *ἐνομοτολογίας δίκην* præmissis, ad ipsam patriæ potestatis naturam progredimur. Quæ nisi fallor, optimè nobis perspecta fuerit, si quatuor ejus causas, *Finem, Materiam, Efficientem & Formam* explicuerimus.

§. 12. A *Fine*, ut in practicis, ducendum est initium. Quæ enim hic doceri oportebit, magnam vim habent ad cætera tum intelligenda planius, tum persuadenda firmiter.

§. 13. *Omne imperium hominis in hominem utilitatis alicujus est gratia.* Dum utilitatem nomino, honestatem non excludo, sicuti nec de alio sum hic imperio sollicitus, quam quod justum sit, rectæque rationi consentaneum.

§. 14. *Uti.*

§. 14. *Utilitas* illa, quanquam alibi major ad subditum, alibi major ad imperantem redit, alibi paribus ferè momentis æquatur: ubiq; tamen certa ratione *mutua* est. Cum enim brutæ quoque pecudes intra domum à nobis receptæ, nostroque subjectæ dominio, refundant nobis quasi justæ provisionis pretium, ut cum ovi ego de stabulo, pascua, cane custode prospicio, illa vicissim lanam mihi, & lac, & alias opportunitates præbet: quanto magis homini ab homine vicem reddi posse pro cujusque facultate credibile est?

§. 15. Ac vide mihi, annon ab hoc ipso principio tres domesticas societates non distinguere modo, sed propè demonstrare possis. Cum enim in quavis specie detur imperans & parens, necesse est, utilitatem mutuam aut *æqualem* esse utrobique, aut *imperantis* esse *majorem*, aut *parentis*. *Æqualis* est in societate *conjugali*, major imperantis in *herili*, major subditi in *paterna*.

§. 16. De ceteris alibi dicendi locus est. De paterna, quam propriè tangit argumentum disputationis nostræ, res in propatulo est. Reddunt quidem filii parentibus vicem, sed serò admodum, & valdè inæqualem, pro vita nihil, pro institutione animi nihil, pro nutritione tantum corporis simile quiddam senio confectis, ubi sit opus.

§. 17. Tria quippe sunt, quæ, post Deum, parentibus accepta liberi habent ferenda: *vita, alimenta, institutio*. Aristot. VIII. Nicomach. xi. de patre: ἀλλ' ὅτι τὸ εἶναι, καὶ τροφή, καὶ παιδεία. Horum *primum* ad corpus & animam simul pertinet, *secundum* ad corpus, *tertium* ad animam refertur magis. *Primum* ad esse filiorum refertur: *reliqua duo* ad conservari & perfici, seu benè esse.

§. 18. Ac possis hæc duo uno etiam *educationis* nomine complecti, & eam definire, *sobolis, à prima infantia ad maturitatem tum corporis tum animi, convenientem perductionem*. È quo duæ quoque agnoscuntur *educationis partes*, una *corporis*, altera *animi* curam complexa.

§. 19. Atque hæc *educatio* Finis est societatis parentum cum filiis. Nam ipsa procreatio *sobolis*, seu *vite communicatio* finis est quidem societatis, sed *conjugalis*, non *paternæ*; benè tamen ingressus quidam ad societatem paternam. Atque hæc sola nimirum societatum est, quam homo non potest non ingredi, statim in primo nativitatis suæ puncto, si, ut in statu naturali, rectè se habeant omnia.

§. 20. Ingreditur autem hanc societatem infans, si solum ipsam respicimus, *miserrimus*. Nascitur enim in hunc mundum & corporis

& animi viribus adeò imbecillis, ut, si relinquatur sibi, nec corpus vitale esse possit, nec ad frugem virtutis adolescere anima. Imo miseriam suam nec ipse potest intelligere satis, nec sensum ejus ad alios testari, nisi bruto ejulatu. Neque ullum est pecus, cujus hac parte, si proportionem æstimes, quæ inter mutum animal & hominem est, non melior esse videatur conditio.

§. 21. Hinc dubitavit Plinius proœm. lib. 7. *parens, melior hominibus, an tristior noverca fuerit natura*, cujus quidem justa esset dubitatio, nisi natura infanti tam inbecilli prospexisset educatores suos.

§. 22. De quibus antequam dicam, tantùm monendum superest in hac parte, ipsam hanc *educationem*, quam societatis paternæ finem esse diximus, esse quoq; *finem imperii patrii*, geminum planè in modum, quemadmodum beatitudo civilis & civitatis finis est, & imperii quod in civitate versus subditos exercent imperantes. Sanè verò in ipsa educatione sita est recens nati felicitas.

§. 23. Ita de *fine* paterni imperii satis. *Materia duplex in qua, & circa quam. Illa parentes, hæc liberi.* Probat, quia illi educare debent, hi educari. Non autem possunt educare, nisi imperent. *Quis enim filios poterit educare, nisi habeat in eos domini potestatem* & ait Lactant. lib. 4. c. 3. *Fundamentum consequentiæ regula illa est, quæ passim adhibetur in practicis, & à Grotio Lib. 3. de I. B. c. 1. §. 2. sic effertur: quæ ad finem juris consequendi sunt necessaria, ad ea jus habere intelligimur.*

§. 24. Parentibus non modo jus esse, sed debitum educandorum liberorum ab ipsa natura demandatum, dubitari non potest, nisi ab eo, qui omnia humanitatis jura inficietur.

§. 25. Meritò igitur execramur Thomæ Hobbesii dogma, cui *mater eum, qui modo nascitur, vel educare, vel exponere suo arbitrio & jure potest* c. 9. de Cive artic. 2. in fin. Quem ex professo refutare non hujus est instituti, sed peculiaris operæ, quæ ipsum ejus primum principium, cui Vir perditè ingeniosus omnem suam civilem doctrinam superstruxit, cujusque adeò inter horribiles conclusiones etiam est illa præsens, ab imis fundamentis convellat. Illud autem principium est hujusmodi, (ut ex præfatione ejus ad lectorem ** 4. liquet) *statum nature alium non esse, quàm bellum omnium contra omnes, atq; in eo bello jus esse omnibus in omnia.*

§. 26. Reponamus tamen & hic aliquid Hobbesio, & quoniam ille de
le de

le de *matre* imprimis locutus est, (huic enim, non patri originale dat imperium in natos) obvertamus ipsi, satis luculenter admoneri sui officii puerperas à natura in eo, quod à partu illis turgescere ubera lacte incipiunt, eo ipso nimirum cibo, qui tenello corpori alendo sit convenientissimus. De quo argumento pulchrè non minus, quàm copiosè differit Clemens Alexand. lib. 1. paedag. c. 6. dum invitatus comparatione verbi divini cum lacte in hunc veluti campum exspatiatur.

§. 27. Ergo natura non liberam permisit foeminis potestatem proli vel abjiciendæ, vel nutriendæ. Aliàs ratio postulabat, saltem ut avibus similes eas faceret, quæ rumam pullis præbere non possunt. Quanquam ne hoc quidem suffecisset, nisi omnem simul affectum in illud, quod ex se natum quælibet intuetur, ipsis ademisset: Nam & aves, ut hoc de suo mihi largiatur Lactant. cap. 3. de Opif. Dei, *quoniam fœtus de suis corporibus alere datum non est, cibos convehunt, & totos dies in huiusmodi discursatione consumunt.* Tanta vis est amoris à natura instincti.

§. 28. Juris ergo illius, quod inter homines & ratio animadvertit, & sensus ipse gentibus universis communis fatetur, simulachra quædam in brutis quoque deprehendere licet. Imò & in plantis. Nam pomum quoque non alibi maturefcit, quàm in qua effloruit arbore. Ut in universum rectè pronuciare potuerit Arist. *Φύσεως ἔστιν ἔργον, τρεφὴν τῶ γεννηθέντι παρέχειν* 1. Polit. 7. p. 44.

§. 29. Porro amor ille naturalis in Liberos non stimulat modò parentes, ad explendum obligationis suæ debitum: sed ab educandi quoque molestiis, quæ sanè maximæ sunt, animos eorum sic avertit, ut obliti suorum commodorum magis sint sæpè de filiorum felicitate, quàm sua solliciti.

§. 30. Velim hic ergo ex Hobbesio querere, quandoquidem ipse *societatem omnem vel commodi causa, vel gloria, hoc est sui non sociorum amore contrahi, persuasus est* cap. 1. artic. 2. p. 5. commodone putet parentes duci, an gloria, cum Liberos, in quos idem ipsum jus illis concedit, quod in hostem captivum, parcunt, & de alimentis prospiciunt? Neutrum commodè dici potest. Qui *gloriam* quarunt, captivum hostem non retinent apud se, sed liberaliter manumittunt; est enim hoc rarum, & quoniam in eo manumittens commodo magis alieno quàm suo studere videtur, prædicatione dignum. Sed in filiis non procedit. Quos qui recens natos dimittit, perditum it, non servatum

vatum

vatum; qui educat, nihil facit rarum, cum educant & bestiae. Jam neque commodum, ut in hoste servato, sperari hic potest. Mancipium quotidianis operis alimenta compensat. In Liberis certa impensa est, certae molestiae, fructus dubii aut feri, saepe nulli.

§. 31. Quod si Parentes, ut Liberis consultum eant, nec commodum allicere, nec excitare gloria potest; necesse est aut fatuitatis eos accusemus, qui sic faciunt, aut fateamur, subesse huic officio suam honestatem, ad quam omnibus aliis invitamentis orbatam maximo videlicet naturae impetu opus fuit.

§. 32. Sed finge, nullo naturae jussu parentes ad educationem sobolis obstringi: multò minus obstricti erunt alii. Fuerit itaque per naturam omnibus miserrimè pereundum. Atque hoc demum pacto justa sit illorum querela, qui naturam homini non matrem sed novercam esse criminantur. Verùm hoc dici non potest absque insigni in Providentiam divinam injuria. Revertamur ergo ad priora, & concludamus, esse infantibus educatores suos destinatos, ipsos nimirum parentes.

§. 33. Quanquam autem utrique totius filii educationem natura imperavit: sic tamen amborum discrevit officia, ut pater, quoniam praestantior est, potioris in sobole partis, hoc est animi, mater corporis magis curam gerendam habeat.

§. 34. Et quoniam prius animalis quàm hominis vitam vivimus, h. e. prius corpore, quàm animo crescimus, inde fit, ut, si tempus spectetur, educandi partes suas mater inchoet prius, quàm pater: quæ nobilissimæ nihilominus ac primariae manent penes patrem.

§. 35. Atque hic ordo est in imperio quoque. In cujus participationem utique & matrem vel decalogi Lex admittit: sed eminent tamen imperiū patris, praesertim cui, ut marito, potestas conveniat & in uxorem. Facit huc illud Aristot. VIII. Nicom. 10. ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς (κοινωνία) ἀριστοκρατικὴ φαίνεται, κατ' ἀξίαν γὰρ ὁ ἀνὴρ ἀρχεῖ καὶ περὶ τὰυτὰ, ἃ δεῖ τὸν ἀνδρᾶ. ὅσα δὲ γυναικὶ ἀρμοδίαι, ἐκείνη ἀποδίδωσιν.

§. 36. Inquinat iterum hunc locum Hobbesii philosophia. Qui cap. 9. artic. 3. in fin. & artic. 7. in pr. dominium in liberos matri dat originale, patri non nisi derivatum. Rationes, ex quibus jus originarium dederat matri, supra §. 25. & seq. excussimus aliquantum: unde simul ruit jus illud patris derivativum. Cujus imminuto gradui stabilendo, quæ ipse artic. 6. differit, talia sunt profectò, ut putes ipsum

de

de industria sanctissimas à Deo naturæ insculptas Leges proculca-
re voluisse.

§. 37. Agnoscimus interim hōc in genere jus aliquod derivati-
vum, sed in nutricibus, præceptoribus, horumque similibus, in quos
parentes ut aliquas educandi partes, ita simul cum iis imperii vicarii
portionem, quanta ad obtinendum illum finem necessaria videtur,
transcribere solent. Vicem quoque parentum sustinent Tutores, &
ii qui adoptant. Sed hi omnes non aliter æstimandi sunt, quàm ex
similitudine, quam cum veris parentibus obtinent.

§. 38. Jam ut ad Liberos ceu materiam circa quam veniamus, ob-
strictos illos esse ad præstanda Parentibus obsequia, satis firmiter inde
probat, quia sunt ab illis educandi, habentque se ad parentes, ut appe-
titus ad rationem, bestia ad hominem. Et verò ipsa natura tacitam
quandam obligationis hujus professionem edidit in liberis. Ut pri-
mum enim disciplinæ capaces esse incipiunt, faciles se præbent non
ad credenda modò, quæ audiunt, sed ad facienda etiam, quæ juben-
tur, siquidem talia sint, quibus appetitus sensitivus non reluctetur,
cùm alioqui gaudeant imitari, quicquid alios præeuntes viderint.

§. 39. Porro ut & rectius præcedentia queant intelligi, & in sequen-
tibus expeditior nobis sit progressio, duo sunt *obsequiorum* distin-
guenda genera. Quorum alterum superioris imperio, alterum æqua-
lis desiderio respondet in obsequente. Dicimus enim & servum domi-
no tanquam superiori, & fratrem fratri obsequi, ut amico æquali. Il-
lud obsequium esto nobis *obedientia*, hoc *amicitia*.

§. 40. Utrumque filius debet parenti, sed temporibus diversis.
Quamdiu educandus est, obsequium obedientiæ, posteaquam educa-
tus est, amicitia. Tum enim ex inferiore, saltem certo modo incipit
esse par, quatenus omnes adulti, sibi que ipsis consulere per ætatem
gnari, ut libertate gaudent æquali, sic æquales ipsi inter se reputantur.

§. 41. Hæc illa *duo tempora* sunt, in quæ filiorum tota nobis est
ætas describenda. *Unum* ab infantia, usque ad annos perfecti iudicii;
alterum hinc excurrentes usque ad finem vitæ. In *priori* durat causa
obsequendi *per obedientiam*: nondum enim res suas ex propria pru-
dentia ordinare potest filius. In *posteriore* cessante hac causa cessat &
effectus, perinde ut in parentibus cessat imperium. Perseverat nihi-
lominus causa obsequendi *per amicitiam*, præstandæque non ut senio-
ribus modo, sed ut vitæ auctoribus, maximisque benefactoribus reve-
rentiæ.

B

§. 42. Ad

§. 42. Ad alterum tempus ubi filius aut filia pervenit, nihil magis suadet natura, quàm ut parentum domo egressi per conjugia propria familiam novam, quippe cui jam pares sunt instituendæ, condere incipiant. Quod si ultra hoc tempus domi relinquuntur, meminerimus ex legali statu & imperfecto illud esse, non ex naturali & perfecto, qui nobis hic unicè est pro mensura.

§. 43. Quòd ergo Grotius *tria* tempora, cum duo debuisset, in liberis distinguit II. de I. B. §. 52. *primum* imperfecti iudicii, *secundum* perfecti, sed dum filius pars manet familiæ parentum, *tertium* postquam ex ea familia excessit: id adversus iustissimam Feldeni p. 125. reprehensionem excusari aliter non potest, nisi ut dicamus, Grotium duobus oculis altero ad statum naturalem, altero ad legalem respexisse.

§. 44. Simul è dictis patet, idem confici, sive hic distinguas inter *duo* liberorum tempora; sive inter filium ut *inferiorem* parenti vel *æqualem*; sive inter filium denique ut *est pars* patris & familiæ paternæ, & ut *pars esse desinit*. Desinit enim, quòd quidem naturæ placeat, ubi primum vir esse, & patri æquiparari cœperit. Omnes distinctiones unus complectitur Aristot. lectu dignissimus locus I. Mag. Mor. 34. fol. 123 ὡσπερ γὰρ μέγ' ἐστὶ τὸ πατρὸς ὁ υἱός, πλὴν ὅταν ἤδη λάβῃ τὴν ἑαυτοῦ ἀνδρὸς τάξιν, καὶ χωρὶς θῆ' ἐκ' αὐτῆς, (legendum αὐτῆ) τοῦ ἤδη ἐν ἰσότητι καὶ ὁμοιότητι ἐστὶ τῷ πατρί.

§. 45. Materiam excipiat Causa Efficiens juris patrii, quod intra terminos status naturalis consideratum proficisci aliunde non potest, nisi ex Lege naturæ. Cujus effatum ipse Deus quarto præcepto voluit comprehendere. Φύσει δὲ χικὸν πατρὸς υἱὸν, καὶ πατρὸς υἱὸν ἐκ γόνων, ait Philosophus VIII. Nicomach. II. Plures autoritates cumulat Aristæus lib. I. Relection, polit. cap. 4. section. I. n. 14. p. 122:

§. 46. Sed quo argumento hoc suadebimus? multa legas apud Montecatinum comment. in I. Polit. Aristot. fol. 441. 442. sed nullum arctius, nullum causæ conjunctius eo, quod ab educatione, h. e. à Fine ducitur. Nam *in moralibus, qui dat finem, dat ea qua ad finem* (necessariò videlicet, & absque violatione honesti) *perducunt*, verba sunt Grotii II. de I. B. 14. §. II. Injungit autem natura parentibus officium educandi quod genuerint, per dicta §. 24. Eadem ergo concedit illis medium ad hunc finem necessarium, hoc est potestatem patriam. Repete §. 23.

§. 47. Gro-

§. 47. Grotius quando II. de I. B. §. I. *generatione* jus parentibus acquiri statuit, non tam illud agere videtur, ut potestatem patriam à proximo principio demonstret (est enim sanè remotum, interim verum) quàm ut eam à duobus cæteris in personam generibus juris originarii, quorum alterum ex *consensu* nascitur, alterum ex *delicto*, tanquam luculento quodam & indubio intervallo separet.

§. 48. Ingeniosissimus Pufendorfius sic disputat Lib. 2. Element. Jurisp. p. 364. ut potestatem patriam imputare *mutuo consensui* videatur velle. Ait enim: *eo ipso, dum tollitur infans, parens quidem declarat, se obligationem à natura injunctam impleturum, eumq, quantum in se, bene educaturum.* Postea de infante: *presumitur, si usum rationis eo, quo sublatu est, tempore habuisset, express. in tale imperium parentis in se, citra quod commoda educatio fieri nequit, fuisse consensurum, commodamq, sibi educationem ab eo vicissim stipulaturum. Qui consensus cum ratione presumptus pro expresso valet.*

§. 49. Sed his obstat, quòd consensus, quocunque titulo veniat locum habere propriè non potest nisi in actionibus ante consensum liberis. Atqui nec patri liberum est nec filio educationis illa jura cum annexo cuique debito declinare, nisi in Hobbesii dogma §. 25. rejectum incidere velimus.

§. 50. Hobbesii mentio nos admonet, ut profanitatem ejus publico dignam odio in lucem denuò protrahamus. Jus parentum ille proximè derivat à *potestate filium occidendi*. Non clarè quidem hoc dicit (quæ mica pudoris in eo adhuc fuit) sed sapienti satis est dictum in eo, quod ait cap. 9. artic. 2. *jure nature victorem esse victi dominum* (id enim ad hostes utique bello victos respicit, quorum licita cædes est victoribus) *jure igitur nature dominium infantis ad eum primum pertinere, qui primus in potestate ipsam habuerit, h. e. ad matrem.* Quis non abominetur hanc scribendi immanitatem non in Christiano dicam, sed in homine?

§. 51. Sunt qui patriæ potestatis proximam originem repetunt à *dominio corporis, ex quo proles fuit generata.* Nec valdè alienus est ab hac sententiâ Clarissimus Pufendorf p. 363. nisi quod argumentum hoc non tam in prolem valere vult, quàm adversus alios non parentes. Utcunque eum exponas, incomparabilis Bœcleri judicio *comparatio potius est, eaq, satis longinqua, quam ratio,* Comment. in cap. 5. Lib. II. Hugon, Grotii p. 150.

§. 52. Sed eadem tamen Johanni Frider. Hornio novissimè sic placuit, ut in ea unicè acquiesceret, lib. 1. de civit. cap. 1. in fin. & cap. 2. à princ. p. 71. 72. 73. Qui nec imperium viri in uxorem, cui ante lapsum obnoxia illa nulli fuerit, aliunde arcescit, quàm ex mulieris perpetrato scelere, & hunc in sensum explicat verba Genes. 3. v. 16.

§. 53. Nos cur hic à Scriptore doctissimo secedamus, causa movet sanè quàm gravis. Nam ut expositionem dicti Genes. 3. Theologis deferamus, qui non subordinationem ipsam uxoris nudè spectatam, sed quod in ea *grave est & involuntarium*, pœnam peccati facerent, per ea, quæ leguntur apud B. Hülsemannum supplem. cap. 5. Breviar. th. 2. p. 59. ut omittamus quoque, rationem illam de solo patre, non etiam de matre concludere: id certè, quod pro confirmatione additur, *partum regulariter sequi conditionem ventris* est ejusmodi, ut ad statum legalem pertineat potius, quàm ad perfectum illum naturæ, quem hic intuemur, siquidem ut partus ventrem sequatur, non est in hominibus naturale, nisi quatenus pater ignoratur, quæ de re Grotius II. de. 1. B. 5. §. 29. & cap. 8. §. 18. Imò hoc ipsum, quòd pater ignoratur, uti solet extra conjugia fieri, imperfectionis est, nobisque propterea meritò contemnendum. Adde quòd hoc pacto liberis quoque fit injuria, dum rebus æquiparantur, qui erant personarum habendi loco, & ita habendi, ut diligantur à parentibus ultra servos amore non concupiscentiæ, sed amicitiae.

§. 54. Commodus hinc nobis trajectus est ad ipsam imperii paterni Formam, quæ sola de causis est reliqua. Facit enim hoc imperium Aristoteles VIII. Nicomach. 10. & 1. Polit. 8. (perinde ut imperium rationis in appetitum 1. Polit. 3 p. 21.) regio simile, h. e. tali, in quo & subditus plane nihil habeat imperii, & imperans primario subditi commodis inserviat, non suis, quorum illud imperium paternum à maritali, hoc ab herili discriminat. Quod Aristoteles *Regium* vocat imperium, id Callicratidæ apud Stobæum in Eclogis Ethicis sermon. 83. fol. 484. non malè est *praefectorium* (*ἀρχὰ ἐπιτακτικά*) ferèque similem in modum ab herili juxta & civili distinguitur, quo nos supra §. 17. tres societates domesticas inter se dignoscebamur.

§. 55. Stabiliamus, quod dictum est, etiam ratione. Cùm enim in personam qua talem, imperium consistat in directione actionum ejus; & verò finis paterno imperio propositus sit educatio non tam patri

patri quàm filio proficua: necesse est, tale sit hoc imperium, quale ad hunc obtinendum finem est aptissimum. Tale verò regium. *Patria potestas*, inquit Seneca, *est temperatissima, liberis consulens suaq; post illos ponens*, Lib. I. de Clem. c. 14.

§. 56. Ceterum, cum filiorum actiones à parentibus gubernandæ aliæ promptè ab illis suscipiantur, aliæ difficulter, puta si imperentur illi s'appetitu sensitivo ingrata (respice ad §. 37.) in illis verba nudè imperantia rem confecerint, in his imperio verborum promissiones quoque addendæ aut minæ: utrisque autem fides facienda facta, ut obedientia præmio confirmetur, inobedientia coërceatur pœnis.

§. 57. Secundùm hæc omne parentis imperium aut *blandum* est, aut etiam, si res postulet, *coactivum*. Illud verbis lenibus, promissis, præmiis absolvitur: Hoc asperis & minacibus jussis, verberibus item aliisque pœnis.

§. 58. In vi coactiva procedi potest ad eum terminum, ad quem in appetitu sensitivo compescendo recta ratio progreditur (nam & hujus imperium regio comparabamus ex I. Polit. 3.) hæc vero affligit quidem refractarium affectum, sed ita, ut duritiem tollat, non ipsum.

§. 59. Quid verò, si tanta sit filii contumacia, ut tolli, tantum scelus, ut expiari nisi occidendo non possit? dabimus ne patri hoc in casu *jus vitæ & necis*? Hic initio dubites, an ad tantum contumaciæ gradum venire possit filius accuratè ab infantiâ formatus: an item tantum scelus cadat in hominem ætatis immaturæ, cui filium includimus §. 41. Sed quicquid hæc de re sit, de ipsa vitæ necisque potestate videamus quid placeat eruditis.

§. 60. Melior pars Politicorum & major eam parentibus denegat, & leges in eandem sententiam conceptas à gentibus moratoribus jurî naturæ consentaneas esse judicat. Contrarium defendit superiori seculo Joh. Bod. 1. de Rep. 4. fol. 22. nostro Thomas Hobbes. cap. 9 de Cive, artic. 7. & Joh. Frider. Hornius lib. 1. de Civitate cap. 2. n. 4. p. 82. sed non iisdem ex principiis omnes. Bodino responderunt Arnisaus Lib. 1. Polit. c. 5. p. m. 48. & Lib. 1. Relection. Polit. c. 4. Section 2. n. 14 49. 73. p. 140 149. 155. Besoldus discursu de tribus domestica societatis speciebus c. 4. §. 5. p. 19. Boeclerus Comment. in Lib. II. Hug. Grot. c. 5. p. 156. Cyriacus Lentulus p. 47. Polit.

§. 61. Nos in genere sic procedimus. Qui patri dant *jus vitæ & necis*,

els, præterquam quod paterni herilisq; imperii discrimina vel ever-
tunt penitus, vel non satis accuratè definiunt, quocunque se vertant,
produnt, se minus esse status naturalis observantes. Vitam filii enim
parentis aut libidini exponunt, aut justitiæ vindicatrici dedunt. Si
prius, ex persona malè rem faciunt, quam impunè liceat pro libitu
corrumpere. Sin posterius, aut extra civitatem caput filiorum pa-
renti subjiciunt, aut in civitate. Extra civitatem familias locari non
sunt ea, quæ §. 10. præstruximus. In civitate à magistratu ad
privatos avertere potestatem tam eminentem non fas est.

§. 62. Exempla, quæ ex adverso proferuntur, siquid probant, fa-
ctum potius quàm jus probant. Speciatim ad Bodini exempla quod
attinet, partim falsa illa sunt: non enim Ebræi, non Persæ patribus
vitam filiorum subjecerunt; partim à proposito aliena, si finem sta-
tuimus, ut omnino statui debet, justitiam punitivam. Non enim ex
hac causa, sed ex illa, quod liberi haberentur in rebus parentis, apud
gentes quasdam immanitas illa potestatis invaluit. Quam ideò Ro-
mani meliora docti paulatim acciderunt primò, tandem amputave-
runt penitus.

§. 63. Age verò committat Respublica patribus animadversionem
in capitalia liberorum flagitia. Videamus quid sit eventurum. Aut
frustranea erit illa commissio, si pater impunitum facinus relinquer,
quod affectus teneritudo vix aliter fieri permittet, uti vel Bodini
exempla duo pollicentur, alterum de patre Castilionensi, alterum de
matre Tolosate: aut crudelis, si pater, satis miser tali filio, cogatur
ipsi carnificem dare, ne dicam de se præstare. Tantum ergo abest,
ut, quod opinatur Bodinus, consultum sit, ut sit consultum potius, ubi
contingat patrem lacerati filii aliàs fungi magistratu publico, exime-
re tantisper numero judicum, coram quibus filio sit causa capitis di-
cenda.

§. 64. Satis infelix est pater, cui conclamatae improbitatis filius
abdicandi necessitatem imponit. Quod jus parentibus passim con-
cessum, nec improbatum Aristoteli VIII. Nicomach. 14. nos quoque
illis relinquimus haud inviti, cum ipsius naturæ dictamen illud esse
videamus.

§. 65. Hoc ita probatur. Talis filii desperata est educatio. Ubi au-
tem ad finem perveniri non potest, media cessant. Destituat ergo
impe-

imperium suum pater, sed in hunc solum, qui est inemendabilis. Unde sequitur ut ipsum ejiciat domo: non enim poterit filius & patri non subesse, & pars familiae manere. Tanto autem magis expulsioni huic favet natura, quanto gravius periculum est tui domui à membro tam morbido. Nam sic & in humano corpore, ne sincera pars trahatur, vulnus immediabile ferro rescindi jubet ratio. Expulsionem autem talem jure sequitur cum ignominia damnum abdicationis.

§. 66. Quæri etiam solet: An Patri in extrema necessitate constituto liceat, quod ex se genitum est, salvo naturæ jure *vendere* vel *prostituerè*? Sed quoniam hæc præsupponunt conditionem ejusmodi, quæ liberos è personarum classe submotos ad vilitatem rerum detruat, majoreque indigent ad decisionem apparatus hypotheseum, quam à quibus hanc disputationem exorsi sumus, in alium locum ea rejicimus.

§. 67. Illam etiam quæstionem, quæ agitur de jure parentum circa matrimonium liberorum, quoniam hoc veluti medio paternæ domus naturalissimè migrantur, visum est nobis relinquere velut in confinio duorum statuum, quorum unus patrem filio ut *inferiori*, & *intra domum*, alter ut *patri* & *extra domum*, pleno jam quippe ejusdem Reip. civi, copulat. Paterna enim potestas nostra intra terminos priori tantum statui proprios consistit, ut è §. 41. & 42. intelligitur.

§. 68. Ita ergo patriam potestatem in statu naturali juxta quatuor causas investigavimus, & ab ejus *Fine*, qui est bona educatio sobolis, initio ducto, per finem demonstravimus cætera. Quod enim ad *materiam* attinet, debet hæc potestas inesse parenti utrique, licet inæqualiter tanquam subjecto; in hos enim educandi officium inæqualiter partita est natura; & exerceri versus liberos tanquam objectum educandum, eosque constitutos in ætate imperfecta. Ab hac enim ubi ad animi pariter atq; corporis maturitatem emerferint, nec educatione amplius, nec Imperio indigent. Ex eodem *Fine* potestati patriæ dedimus quoque tum *Efficientem Causam* Naturam, quæ non solet deficere in necessariis ad finem suum mediis; tum *Formam*, gubernationi regie similem; hac enim educationi capitum charissimorum nulla est aptior.

§. 69. Quæ occasione *materia* de duplici filiorum tempore §. 41.
&

& seq. diximus, talia sunt, ut ad *formam* quoque hujus imperii referri possint, quatenus sc. ex diuturnitate æstimatur, quanta ea sit *extensivè*. Itaque nec eorum quicquam repetivimus, ubi ad formam per ventum fuit, contenti explicare, quanta sit eadem *intensivè*.

§. 70. Nunc nihil aliud post hunc speculationis cursum restat, nisi ut in definitione, tanquam in aliquo portu conquiescamus. Quam ex quatuor illis causis facile est talem dare: **POTESTAS PATRIA** est *jus in Liberos aetate nondum maturos, recte ipsorum educationis gratia, regio seu praefectorio imperio simile ab ipsa natura ambobus parentibus inaequaliter concessum.*

Deo sit Laus atque gloria.

Ad Pereximum DN. Respondentem.

Dum Te commendas *Philurinis* Frater *Athenis*,
Omnia *Rhodopolis* mittit amica Tibi

Tu Patriam decoras? an Te mage Patria clarat?

Auguror; auspiciis si tribuenda fides.

Amico suo ex optatissimo & instar fratris dilecto

Sic ominabatur Rostochii

GEORGIUS AMSELIUS J.U.

Cand. Rostoch. Megap.

AD ORNASISSIMUM RESP: EPIGR:

Quid juvat assiduis totum impallescere chartis,
Quæ sunt lecta domi, promere si nequeas:

Si non dulce sonant, nil tintinnabula profunt:

Sic, quæ mente tenes, edere voce stude!

Hocce κελύσματι

Egregiis Amici Sui conatibus acclamare voleb.

Samuel Friderici, Dantisc. S. S. Theol.

& Philol. St.

F I N I S.





ULB Halle
005 803 551


3



1017







1665, 18²⁰

ante
LITICAM
OTE.

hici consensu
gente

ssimo
OMASIO,
iato, Amplissimæ
gravissimo, Præ
em ve-

ioni exponit
ENSOR
SCHELERUS.
Cultor,
A. DC. LXV.
P. COLLEG.

VIANO.

H. B. Amman

